

DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS  
QVA QVAESTIO EXAMINATVR  
AN  
**CHIRVRGVS ADOLESCENS  
SIT OPTIMVS**

OCCASIONE VERBORVM CELSI IN PRAEFAT. LIB. VII.  
QVOD CHIRVRGVS DEBEAT ESSE ADOLESCENS

QVAM  
**PRAESIDE  
LAVRENTIO HEISTERO**

MEDICINAE D. SEREN. DVC. BRVNOV. ET LVNEBVRG. A CONSILIIS AVEICIS  
ET ARCHIATRO, PRAXEOS CHIRVRGIAE AC BOTANICES PROFESSORE  
PVBL. PRIMARIO, ACAD. SCIENT. CAES. REG. LOND. AC BEROLIN. SODAL.  
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE SENIORE LONGE GRAVISSIMO

ET H. T. DECANO SPECTATISSIMO

PATRONO, PRAECEPTORE ET PROMOTORE SVO  
OMNI PIETATIS CVLTV, DEVENERANDO

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
MORE MAIORVM RITE IMPETRANDIS

IN IVLEO MAIORI

D. XXI. DECEMBER. MDCCXLVII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS  
PVBLICAE ERVDITORVM VENTILATIONI SVRMITTET

AVCTOR

**CAROLVS IOSIAS IOHANNES CRAMER**  
BECKENDORFFIO - HALBERSTADIENSIS.

---

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,  
ACAD. TYPOGR.



HVNCE DILECTIA MVLCAVILM  
ILLVSTRISSIMO GENEROSISSIMO EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
LVDOVICO HANS  
VON DER ASSEBVRG  
POTENTISSIMO SVECORVM REGI  
FRIDERICO  
HASSIAEQVE LANDGRAVIO  
A CONSILIIS INTIMIS  
NEC NON  
MINISTRO STATVS INTIMO  
NEINDORFFII , PESKENDORFFII  
ALIORVMQVE LOCORVM  
DOMINO HAER EDITARIO  
OMNI QVA PAR EST, SVEMISSIONE  
DEVENERANDO

HANCCE DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

ILLUSTRESCIMO GENEROZISSIMO ECOI INTIMIS

IN SVBIECTISSIMA MENTIS TESSERAM

LADONIUS HANS  
HVMILLIME OFFERT

VON DER ASSEBARG

LOTINTISSIMO SACCORAV RECI

FRIEDRICO

HASSIVDAE LANDGRAVIO

A CONSIGLIIS INTIMIS

MINTSTRO STATS INTIMO

MINDORTII FESKENDORTII

ALTOVAMOAE SACCORAV

DOMINO HEREDITARIO

SVBIECTISSIMVS CLIENS

CAROLVS IOSIAS IOHANNES CRAMER.

## PRAEFATIO.

**G**ravissimus atque ac omnibus & Philologis & Medicis, ob elegantiam & gravitatem suorum præceptorum, æstumatisimus Aurelius Cornelius CELVS, quando Libr. suo VII. de Medicina in *Præfatione Chirurgum* describere vult, & quid præcipue ad illum desideretur, ita de eo loquitur: *Esse autem Chirurgus debet ADOLESCENS, aut certe ADOLESCENTIAE PROPIOR; manu strenua, stabili, nec unquam intremiscente, eaque non minus sinistra, quam dextra promptus, acie oculorum acri, claraque, animo intrepidus, immisericors, sic ut sanari velit eum, quem accepit, non ut clamore eius motus, vel magis quam res desiderat, properet, vel minus, quam necesse est, secet: sed perinde faciat omnia, ac si nullus ex vaginibus alterius affectus oriatur.* Quoties vero hæc verba legi vel audivi, omnia gravia, & prudentissimo CELSO, quem latitum HIPPOCRATEM & Medicorum CICERONEM vulgo appellant, digna esse iudicavi, si excipias priorum huius descriptionis verba, sive Chirurgo adscripta attributa, quod nimirum *Chirurgus debeat esse ADOLESCENS, aut certe ADOLESCENTIAE PROPIOR;* cum potius, quia in morbis, qui Chirurgis curandi offeruntur, & quos *Chirurgicos* propterea vocant, qui manu & scalpello aliisque ferramentis sanandi, maturum, subactum, sagacissimum, si rite eos curare velimus, requirant ingenium ac iudicium, quod sane non tam in lubricis adolescentibus & adolescentiæ propioribus, sed in senioribus & gravibus viris, qui multa vide-

PRAEFATIO.

<sup>4</sup> runt, multa didicerunt atque experti sunt, potius quærendum atque expectandum esse, manifestum est.

Atque cum exantlatis consuetis Medicinæ Candidatorum examinibus argumentum quoddam pro Dissertatione inaugurali, ut vocant, mihi elaborandum esset, sapientissimus alias CELSVS hac in sententia graviter mihi, pro nostrorum saltem temporum ratione, errasse, atque vero longe similior sententia huic contraria mihi videtur; hancque ob caussam hic evincere studui, *hominem in virili aetate, itemque senem expertum, ceteris paribus, longe meliorem sive perfectiorem Chirurgum esse posse*, quam adolescentem.

Quam ob rem in hac Dissertatione investigare studui, quare egregius ceteroquin hic Vir & Medicus inter Romanos, antiquissimus, quando dixit: *Esse autem Chirurgus debet ADOLESCENS, Chirurgum esse voluerit adolescentem.* Deinceps vero ostensurus sum, quod Chirurgus virili ætate imo etiam senex, isque præsertim adhuc sanus & vegetus, non solum minus dignus Chirurgus, verum etiam *magis aptus ac melior quoque Chirurgus*, si cetera sunt paria, esse possit, quam adolescentis. Quodsi forte in hac sententia, quæ iam per septendecim & quod excedit sæcula duravit, & pro vera promiscue habita, atque a nullo fere, quantum novi, in dubium vocata, multo minus ab aliquo peculiari scripto refutata est, erraverim, meliora edoctus facile vietas dabo manus. Interea tamen me eiusmodi dubia contra CELSI sententiam hic in medium protulisse spero, ut me hæc non sine ratione cogitassem & scripsem *æquum lectorem iudicaturum esse*, confidam, atque sic his præmissis, ad rem ipsam bono cum Deo progrediar. I. Præ

## I.

Præ omnibus vero hic mihi exponendum erit primo quid *Chirurgus*, ac deinde quid sub *Adolescentis* nomine intelligi solet; quia ex horum definitione controversia hæc maxime erit diiudicanda. Sub *Chirurgi nomine* intelligi solet *Vir*, qui manibus potissimum atque instrumentorum ope morbis corporis humani medetur: quod nomen Græci talibus Medicis, qui ita curant, dederunt, ortumque habet a græco vocabulo χεις, manus & ἔγχος, opus, quia manibus operas five curationes suas præcipue perficiunt: qua in re quia scalpellis, præter dolores facile adhuc magna damna ægro inferuntur, aut inferri possunt, magna profecto prudentia, scientia & animus magnus, imo & aliæ peculiares dotes requiruntur, quarum varias quidem C E L S V S in antea relatis verbis, attamen non omnes, indicavit. Nihil enim hic dixit de *Scientia Anatomica*, quæ tamen, ut omnes harum rerum periti fatentur, bono Chirurgo adeo necessaria est, ut ea sine magno dedecore & damnō carere nullo modo possit; verum potius Chirurgo mehercules longe magis & longe accuratior necessaria est, quam ipsi Medico striete sic dicto: quia hic multos morbos, ut febres verbi gratia & cumprimis intermittentes, variosque alios morbos diæta & medicamentis, sine ullo anatomes adminiculo, pellere & sanare potest. Chirurgus vero in quam plurimis gravioribus suis officiis & actionibus chirurgicis sine danno manifestissimo ea carere nequit, sicut frequens & tristis experientia quam særissime docuit: sic ut

A 3

pro-

profecto pro vitio quodam haberi C E L S O iure possit, quod anatomicam scientiam inter qualitates chirurgis necessarias non retulerit. E contrario manifestum est, quantum scientia perfecta anatomica ars chirurgica a recentioribus Chirurgis correcta, emendata atque promota est, non nisi quam ignarissimis potest esse ignotum. a)

II. Quid vero C E L S V S noster sub *Adolescentis* nomine intellexerit, mihi magis dubium videtur, quam quid sub nomine *chirurgi*; neque ullum etiam novi, aut Philologorum aut Criticorum aut Medicorum, qui hac in re aliquid commentatns sit, vel saltem, qui aliquid certi, quid hic sub *adolescente* intelligendum sit, definiverit aut constituerit. Usus autem vulgaris est & Lexicographi etiam docent, quod *adolescens* vocetur ille, qui in tertio ætatis vivit septennio, dum primum *infanile*, usque ad septimum; alterum, ad annum XIV, quod *puerile*; ac tertium *adolescentie*, quæ proxima post pueritiam ætas est, ab anno XIV ad XXI ita vocentur, quando scilicet ita adoleverunt, ut in longitudinem non amplius crescant: b) *Juvenile* vero, quod hanc sequitur, ad vigesimum octavum vel trigesimum usque, ubi *virilis* sequitur ætas, extendunt: in qua Viri sunt maxime vegeti, & quæ ad senectutem sive sexagesimum annum & ultra saepe extenditur. Quando autem *adolescentium* ætas vulgo ita sumitur, ut modo dixi, ego vulgarem hanc inte-

a) Conf. P R A E S. Diff. de Anatomie maiori in chirurgia quam Medicina utilitate, 1737. Helmst. edita.

b) Vid. *Lexicon Calpini*, sub voce *Adolescens* & alii plures,

interim retinebo, præsertim quia **CICERO** Lib. I. Off. Cap. XXXII. de iis dixit: *Est adolescentis maiores natu vereri, exque bis diligere optimos & probatissimos, quorum consilio & auctoritate nitatur: ineuntis enim etatis inscitia (id est adolescentiæ) senum constituenta & regenda est prudentia.* Vnde patet, **CICERONE** adolescentis vocabulo in sensu vulgari, modo indicato, uti. Optarem, ut vel alii magni viri, me doctiores, hunc locum mihi exponerent, & ex hoc scrupulo me eriperent; vel ut ille Cel. **RHODII CELSVS**, quem amplissimo commentario superiori seculo illuſtrasse dicitur, adhuc prostaret, nec flamnis in incendio Bartholiniano consumptus esset, ut huīus vocabuli mihi hic obscurissimi explicationem & verum sensum reperire possim, quæ & aliis & mihi lucem daret: dum non video, quomodo hæc significatio hic stare queat. Interea tamen de **CELSI** sensu circa adolescentis significationem infra meam sententiam uberius proponere studebo, & interea sensu vulgari, & quo **CICERO** loco citato eo usus est, hic quoque utar.

III. Quod vero **CELSVS** Chirurgum voluerit esse adolescentem aut saltem adolescentiæ propiorem (& non virum aut senem) ex mox subiectis eius verbis aliquo modo patere mihi videtur: dum vult, eum etiam debere esse manu strenua, stabili, nec unquam intremiscente. Hæ manus qualitates profecto in bono Chirurgo summe sunt necessariae: nam si Chirurgus manus non habet strenuas, stabiles & non intremiscentes, ille profecto ad nullas curationes sive actiones chirurgicas magni momenti erit aptus; sed

e con-

e contrario noxas & damna varia facile ægris inferet, atque loco salutis, quam hic quærit, eos vel interficiet, vel graves eis læsiones inducet, vel saltem hoc, quod in curatione præstandum est, aut præstare debet, non præstabat. Illa vero virtus plerumque magis est in adolescentibus & iuvenibus, imo & in viris, quam in senibus.

IV. Sicuti vero, quod hic posui, exemplis egregie illustratur & confirmatur vel extra dubitationem ponitur, proponam primo unam ex vulgatissimis administrationibus chirurgicis, nimirum *venarum incisionem*, sive ut vulgo dicere solent, *Venæ sectionem*, quam Græci *Phlebotomiam*, ad distinctionem ab *Arteriotomia* vocarunt. Profecto diu observatum est, Chirurgos senes & quidem etiam illos, qui adolescentes, vel iuvenes, vel saltem viros iuniores pro optimis phlebotomis, sive talibus chirurgis habitos esse, qui prompte, blande & accurate hanc operationem perfecerunt, & pro talibus summa laude per plures annos floruerunt; ubi vero tandem *senes* evaserunt, eorumque visus debilis factus, vel manus tremula redditæ, omnem tunc in senectute famam atque existimationem, quam ob *Venæ sectionem* olim habuerant, amiserunt, aliosque iuniores ipsorum famam acquisivisse: id quod nonsolum varii observarunt & notarunt, sed & illustris D. PRAESES similes ipse novit. Atque hæc ipsa ratio quoque causa fuisse videtur, quod CELSVS in supra relato dicto *adolescentes senibus prætulerit*; dum sine dubio etiam Romæ, ubi CELSVS olim vixit, eadem ratione cum Chirurgis senioribus actum sit: sic ut hanc ob rem, ut *Chirurgus adolescens sit*, voluerit.

V.

V. Nam vidi & novi ipse Chirurgos paullo seniores, (de decrepitis & valde senibus, quia res per se clara est, h̄c non dicam) qui ob manus intremiscentes, dum venas incidere debuerunt, venam non aperuerint, atque sic punxisse sine effluxu sanguinis; dum cutem aut pinguedinem solum vulnerarunt, vel alium locum, quam ubi vena erat, læserunt: ex quo manifestum est, eos in brachio vel pede *facile* aut *nervum*, aut *tendinem*, aut *arteriam*, pessimo s̄æpe cum effectu lædere posse, & haud raro solere; unde ægri in gravia mala imo in vitæ periculum coniecti sunt, sic ut alii homines ab istiusmodi Chirurgis iure abhorruerint, aliosque inquisiverint iuniores, si non adolescentes, quibus manus strenua, stabilis non intremiscens erat. Imo nonnulli homines, qui sanguinem sibi detrahi volunt, atque accedentem ad opus conspicunt Chirurgum manibus tremulis, eum horrent, atque anxietatibus, imo animi deliquiis corripiuntur, antequam incisionem fecit, eamque ob caussam eiusmodi Chirurgos non amplius accersunt.

VI. Sic si eiusmodi Chirurgus intremiscens *arteriotoniam* instituere deberet, ob eandem caussam eam non facile incidet; sed frustra ægrum vulnerabit & alio in loco, quam ubi arteria sita est, vulnus faciet, ubi illud non desideravit, aut ubi Medicus curans hoc fieri noluit: id quod senes chirurgos revera s̄æpe exosos reddit.

VII. Ita s̄æpe *abscessus* sunt iuxta magnas arterias, ut circa arterias brachiales, ad brachiorum alas, circa cubiti flexuram aut circa carpum, vel cir-

ca inguina aut poplites; aliasque partes similes, ubi facile intremiscente manu, dum eiusmodi abscessus & præfertim paullo profundius sitos, iuxta has magnas & periculosas arterias aperire vel incidere vult, eam laedere & hominem eo ipso, propter ingentem sanguinis profusionem inde exortam vel interficere, vel faltem claudos & miserios reddere facile poterit; sic ut sine iniuria has ob causas CELSVS adolescentes pro Chirurgis desideraverit & senes abesse iusserit.

VIII. Si adhuc maioris momenti administrationes chirurgicas consideramus, sicut exempli loco esse potest suffusionis per acum curatio, facile patebit, eam Chirurgo seni tremulo nulla ratione tuto committi posse; quia si acus in oculum demissa, ab intremiscente manu ligamentum ciliare, processus ciliares, iridem, & speciatim sphincterem iridis sive pupillam, alias oculi partes tenerrimas ita disrumpere destruere ac laedere potest, ut visus, sine spe ulla cum unquam recuperandi, destructus atque in æternum ipsi eruptus sit.

IX. Quomodo quæ in curatione fistularum lacrymalium ad modum ANELLII a) senex tremulis manus præditus specilla eius in puncta lacrymalia immittere & inde per ductum nasalē ad nasum usque demittere possit, ego profecto haud perspicio. Ita qua ratione siphunculo Anelliano in puncta lacrymalia per quam exigua & ceteras vias lacrymarum intrare, eas apto liquido replere, eluere & mundificare poterit,

a) vid. D. PRAESIDIS Institut. Chirurg. Tom. II. Cap. LIV.

terit, certe non video; sed apice siphunculi valde tenui & quasi acuto partes potius oculi vicinas, quæ valde sensiles sunt, punget, lædet, vulnerabit, dolores, inflammations aliaque in oculis mala concitabit, nullum autem commodum ægro præstabat.

X. Idem facile probare possem circa alia oculorum *vitia*, & quidem nominatim, pannum, pterygium, unguem, staphyloma, venæfectionem aut scarificationem oculorum, hypopyum, encanthidem, tubercula intra palpebras, vel supra eas; in quarum omnium curatione, si manus non sunt strenuæ ac stabiles, ægri oculi sæpiissime quam gravissime lædi possunt.

XI. Sic si *labra leporina* curanda, si *frenulum lingue* incidendum, si *uvula viriosa* amputanda, si *tonillæ* in fauibus suppuratae aperiendæ, si *hernia incarcerata* periculosa per scalpellum curanda, vel *vulnus ventris*, per quod intestina prolapsa sunt, paullo angustius scalpello dilatandum, per tremulas manus partes vicinæ, & quidem his ultimis modo recensitis malis, *intestina facile vulnerari*, atque sic æger interfici potest: adeoque profecto haud sine ratione CELSVS Chirurgum adolescentem esse voluit; id quod longe pluribus, nisi hæc sufficere existimarem, exemplis probare possem.

XII. Deinde CELSVS noster Chirurgum voluit esse adolescentem, ut sit *acie oculorum acri*, claraque; five ut bono & accurato instructus sit visu: quoniam visu læso in omnibus non solum iam §. VIII. IX. X. & XI. recensitis, verum adhuc quam plurimis aliis in

malis a chirurgo sene debili visu & manu gravissimas lœsiones inducere potest: *tantum enim visus vitio peccare potest, quantum manibus intremiscentibus, imo forte adhuc magis & gravius.* Quando autem utrumque & manus tremulae & visus valde debilis simul in uno eodemque Chirurgo sene concurrunt, ego profecto ipsi ne brachium incidendum, multo minus nobiliores partes, plures ob dictas rationes, committere vellem.

XIII. Tertio loco, quoniam in Chirurgia facienda, *brachiis, manibus, pedibus, femoribus, mammis imo & tumoribus maioribus resecandis* haud minus, quam in prædictis per ferrum curationibus animus (*courage*) requiritur, *C E L S V S* verisimiliter etiam existimavit adolescentes animo magis esse intrepidos, quam senes; quoniam iuvenes & adolescentes sæpe ad temeritatem usque intrepidi sunt, sicuti sæpius in Academiis observatur; senes vero his plerumque cautiores adeoque sæpe & timidiores existunt, & majori animi deliberatione omnia facere solent, atque præterea multo magis ad misericordiam proclives sunt. Verum Chirurgum *immisericordem* esse desiderat, quando citato loco dicit: *sit ANIMO INTREPIDVS, IMMISERICORS;* id quod facilius & rectius se in adolescentibus vegetis & calidis se reperturum esse certus sibi persuasit, adeoque rursus etiam hanc ob causam Chirurgum voluisse videtur adolescentem, ut sic omnes illas qualitates simul habeat, quas Chirurgo bono maxime necessarias esse iudicavit: qua quidem in re etiam non prorsus erravit.

XIV.

XIV. Praeterea etiam *Chirurgum forte adolescentem vel iuvenem*, a) esse voluit, quia hi *egregium corporis habent robur*; senes autem contra debiliores rursus evadunt. Nam sunt revera variae curationes Chirurgicæ, quæ ingens, vel saltem *haud mediocre corporis robur desiderant*, ut rite perficiantur, sicuti sunt primo *fracturæ ossium*, & secundo loco eorundem *luxationes*; quæ profecto in humeris, brachiis, carpis, tarsis, genibus, ossibus femoris, spinæ dorsi aliisque tantas, ut rursus in naturalem & debitum restituantur locum, requirunt *vires ac valorem*, ut debilis senex nihil saepe in his reponendis efficere queat. Praeterea in *arte obstetricandi*, vertendis atque extra-hendis ex utero infantibus pessime sitis, praecipue pelvi incuneatis, tantis saepe, sicut artis huius periti probe sciunt, corporis viribus opus est, ut vel robustissimi etiam chirurgi & obstetrics quandoque omni conatu ac durissimo labore nihil efficere queant. Quid igitur senex debilis hic præstabit, si robusti adolescentes aut adolescentiæ propiores, aut viri etiam iuvenes quam maxime vegeti saepe re infecta, sudoribus diffuentes & confecti a negotio abstinere & a parturiente discedere coguntur, sicuti non solum a D. P R A E S I D E didici, verum & auctores plures referunt, atque exempla varia apud scriptores reperiuntur, quæ adducere possem, nisi hæ res iam satis vel in vulgus essent notæ, atque brevitati studerem.

B 3

XV.

a) *iuvenes* a iuvando nomen acceperunt, quia ad labores & iuvandum maxime apti sunt, quae qualitas in chirurgo valde quoque necessaria est.

XV. Interea tamen licet hæc omnia ita se habent, ostendere tamen atque *contra CEL SVM evincere hic elaborabo*, hanc adolescentiæ imo & iuvenillem ætatem pro chirurgo bono non esse optimam; sed his seniores & cum primis virilem ætatem esse meliorem, atque chirurgos harum ætatum, si forte non meliores illis sint, tamen *minimum aque aptos ac bonos*, quam adolescentes esse chirurgos posse, & revera etiam esse; ita ut si quid unquam, hoc sane ipsi paullo imprudentius e calamo elapsum sit. Nam quid in scientia sive arte adeo ampla, prolixa, difficili & periculosa ab adolescentiæ magni & boni expectari potest: dum profecto hodie vix anatomiae, multo minus Chirurgiæ elementa adolescentiæ annis scire solent aut possunt, multo minus ad magnum aut perfectum artis huius gradum pervenire.

XVI. Primo autem loco paucis tantum indicabo & non prolixè probabo, quia *boni chirurgi usi sunt, senes meliores adolescentibus, si cetera sunt paria, posse esse Chirurgos*: quia illis longo temporis tractu & longa experientia plura viderunt, sæpius omnis generis vitia, præsertim si diligentes fuerunt, curarunt, eoque ipso iudicium eis valde politum atque confirmatum est, ut accuratius de morbis ipsis occurrentibus iudicare queant, quales scilicet sint, unde orientur, ubi hærent, utrum curandi, an minus curandi & qua ratione, si curandi, curatio optime instituenda sit. Sicut enim *recens aut novus miles non mox primis annis illam prudentiam agendi in bello habere potest, quam Dux aut præfector militum vetera-*

teranus, sicuti etiam *novus nauta* sive *navis gubernator* non mox tam aptus est ad magnam navem in mare, tempestate præsertim suborta, sine periculo magno gubernandam, quam *navigis gubernator* bene expertus & senex, aut senectuti proximus, qui per varios casus per tot discrimina rerum, ut *VIRGILIUS* canit, longaque experientia observavit, notavit & didicit, quæ novus vix unquam in vehementi præsertim procella, ut plerique fatebuntur, rite perficiet aut præstabit; & quemadmodum *cuiuslibet artificis discipulus* præstare vix unquam aptus est, quæ veteranus sæpe quam facillime præstare valet; ita profecto etiam se res habet cum Medico, & cumpromis Chirurgo, ubi exercitatione, longo usu atque experientia semper fiunt prudentiores, cauiores, promptiores & apiores ad res suas, præsertim difficiliores gerendas, sicuti in omnibus artibus, ubi manuum promptitudo requiritur, quam, ceteris paribus, Chirurgus adolescens, prout cuique fere notum est; ita & Chirurgus senex aut saltim senectuti propior, & virilis speciatim ætatis, æque ut Dux militum aut *navigis gubernator* veteranus, ex mea sententia melior erit chirurgus.

XVII. Porro si ceteras quascunque artes intuemur, earum naturam ita constitutam semper deprehendemus, ut artifices prudentes atque expediti ac prompti longo usu semper fiant perfectiores, numquam vero per usum diuturnum deteriores, quamdiu sani & vegeti adhuc sunt. Ut enim nunc artifices viliores (sub quibus intelligo sartores, sutores, fabros ferrari-

os ac

*os ac lignarios, textores similesque) iam silentio præteream, quilibet novit, nullum perfectum nasci, sed usi sensim perfectiores & diuturno usi tandem perfectissimos fieri; ita adhuc magis id vidernus in artibus nobilioribus, ut pictoria, sculptoria, architectonica, in arte *es* incidendi, horologia conficiendi aliisque similibus altioribus ac difficilioribus, quæ longum tempus plerumque requirunt, antequam quis in eis aliquid operæ prætium præstare & tandem ad magnam perfectionem pervenire potest, ut scilicet bonus fiat *pictor*, *sculptor*, *cælator*, *architecta*, *horologiorum faber*, aliarumque artium difficiliorum magister; sic profecto in Medicina, & adhuc *magis in Chirurgia*, artium omnium præstantissima ac nobilissima, quæ simul anatomen, aliam artem, sive scientiam difficillimam fundamenti loco requirit, res se habet, dum revera, ut C E L S Y S ipse variis in locis fatetur, *difficillima* est. a) Quemadmodum enim hæc, quæ in cadaveribus solum incidentis, quæ non clamant, & ubi non metuendum, ut se commoveant, neque ut periculosa haemorrhagia inducatur, & quæ in partium fabrica tantum evolvenda ac discenda occupata est, diuturnum usum requirit, antequam quis Anatomicus alicuius pretii evadat, aut evadere possit; ita profecto adhuc minus chirurgia adolescentiæ annis adisci potest, sed longius tempus requirit, quæ in viventium corporibus incidentis occupata est, & ubi inci-*

a) ut verb. gratia Lib. VII. Cap. XXIX. de *fœtu mortuo extrahendo* ait: curatio hæc numerari inter *difficillimas* potest; nam & summa prudentiam moderationemque desiderat, & maximum periculum assert.

incisiones imprudentes s<sup>e</sup>pe mortem concitant, aut gravis l<sup>a</sup>esio ac damnum ægro inducitur, dum eis facile magnæ arteriæ, venæ, nervi, tendines, intestina aliæque partes nobiliores incidi, corrupti aut destrui possunt, nisi Chirurgus summam prudentiam & cautionem una cum manuum perita agilitate adhibeat. Anatomicus vero, quia in mortuis solum occupatus est, facilius & sine vitæ periculo in his peccare potest, quando ex incuria arteriam, nervum, aliamve partem magni momenti dissecat. E contrario Chirurgo sine magno dedecore aut ægri damno non licet ita peccare, sed summa prudentia & moderatione, præsertim in curationibus difficultibus, ut terebra in cranio perforando, acu in suffusione supprimenda, tumoribus in collo scalpello excindendis, herniis incarceratis ferro curandis, calculis e vesica excindendis, membris maioribus, ut brachiis aut pedibus amputandis, infantibus male in utero dispositis, vel etiam mortuis ex utero eximendis, vel omnino excindendis, ut in ita dicta *Sectiōne Cæsarea*, aliisque similibus, in quibus tam perfecta scientia, atque tam diuturnus usus ad eas rite perficiendas requiruntur, ut nihil supra. Quare, quod magnus ac divus **HIPPOCRATES** de Medicina in universum Aphorismo I. Sect. I. quam sapientissime exclamat: **ARS LONGA, VITA BREVIS**, quam maxime de *Chirurgia* valet, quæ ars tam longa ac difficilis est, ut profecto brevi tempore nunquam, nisi forte summis quibusdam ingenii, quorum sane paucissima sunt, addisci & recte exerceri possit; **C E L S V S** vero generatim Chirurgi mandat: *Excellens artis Chirurgicæ* Cerdonius rebus

rurgum, sine respectu ad ingenium & iudicium, si-  
ne respectu ad morbum &c. velit esse adolescentem,  
aut adolescentiæ fâliem propiorem, verbo, iuvenem.

XVIII. Præterea Chirurgum veteranum, pru-  
dentem & expertum non postponendum esse Chi-  
rurgo adolescenti, propterea existimo, quia requi-  
sita illa, quæ CELSVS in Chirурgo suo adolescentे  
desiderat, minimum manum strenuam, firmam, stabili-  
lem non intremiscentem, aciem oculorum acrem claram-  
que, animum intrepidum, immisericordem, sic ut sa-  
nari velit eum, quem accepit, etiam adhuc in multis Chi-  
rurgis, imo forte in plurimis adolescentiæ annos du-  
dum supergressis, virili speciatim, aut revera senibus,  
sub quibus eos intellectos esse volo, qui quinquagesi-  
mum annum superarunt, reperiuntur. Ponam enim  
CELSVM vel cum CELSO sentientem, annos adolescentiæ  
ad trigesimum etiam annum usque extendere velle,  
ubi profecto virilis ætas incipit, an non tunc quam  
plurimi homines, præsertim qui sobrie & caste vi-  
xerunt, imo & qui quinquagesimum aut sexagesi-  
mum iam excederunt annum, manus habent strenuas  
stabiles, non intremiscentes, imo & aciem oculorum a-  
crem claramque & animum ad actiones chirurgicas per-  
ficiendas intrepidum? quemadmodum hoc multis ex-  
emplis veterum, imo & recentiorum Chirurgorum,  
ac nominatim Fabricii ab Aquapendente, MARCI  
AVRELII SEVERINI, FABR. HILDANI,  
SCVLTETI, RVYSCHII, MARESCHALLI, & nunc  
adhuc viventis PETITI Parisiensis, DRANII imo &  
speciatim ex Illustris D. PRAESIDIS, qui dum sexagi-

gesimum iam quintum ætatis agit annum, omnino illa requisita adhuc habet, quæ C E L S V S in Chirurgo suo adolescente desiderat, atque adhuc quascunque chirurgicas operas perficit, quæ ipsi occurunt, & a iuvene aut adolescente perfici possunt aut solent. Quare enim eiusmodi Chirurgi seniores, qui illa adhuc requisita habent, quæ C E L S V S in Chirurgo adolescente adesse vult, minus apti chirurgi esse debeat, quam *chirurgus adolescens*, nulla prorsus ratio idonea aut sufficiens, ut nostri Philosophi hodie loqui amant, mihi appareat.

XIX. Contra si considero, quantum scientiæ prudenter, artis & usus requiratur ad operationes paullo difficiliores, rite, hoc est, cito, tuto, & quantum fieri potest, iucunde perficiendas, illi ignorare nequeunt, qui in chirurgicis rebus non prorsus rudes aut hospites sunt. Factum hinc esse propter magnas multarum perficiendarum curationum difficultates existimo, ut ab antiquissimis temporibus iam non nulli potissimum *uni vel alteri earum recte descendæ* atque perficiendæ se applicaverint. Nam bonus chirurgus nonsolum debet scire naturam morbi curandi, eius signa & qua ratione medicamentis & ferro optime curandus sit; sed insuper habere *animum illum intrepidum & immisericordem*, quem C E L S V S in chirurgo & ipsa etiam res desiderat (qui multis deficit, qui etiam Chirurgiam satis bene didicerunt,) imo requiritur etiam illa *manuum aptitudo & promptitudo*, ut tuto, rite, & ut malum exigit, prompte agere & secare queant; præcipue vero in veterum,

speciatim **HIPPOCRATIS & CELSI** monumentis deprehendimus, quod quidam iam tunc *calculo e vesica* bene excindendo five *Lithotomie* totos fese applicaverint, quos *Lithotomos* iam Græci ac Romani appellarent, sicut **AMMONIUS** *Lithotomus* apud **C E L S U M** Lib. VII. Cap. XXVI. §. 3. iam celebratur, & propter hanc calculum excindendi magnam difficultatem, quam non opus adolescentis esse existimavit magnus **HIPPOCRATES**, inter alias caussas credo ipsum suis discipulis suafuisse, ut a *calculi sectione* abstinerent; quia facile, præfertim nondum bene exercitati, ægros interficere possent; sed potius gravissimas ob rationes iussit, ut illis hoc negotium relinquerent, qui animi & corporis aptitudinem ad hanc curationem haberent & longo usu hoc rite perficere didicissent. Hinc etiam adhuc hodie in Gallia, Anglia, Hollandia & alibi chirurgi sunt & fuerunt, qui præcipue huic se manciparunt: ubi speciatim & **R A V I S**, præstantissimus *Lithotomus*, mihi est nominandus, Germanus natione, ob lithotomiæ laudem hoc sæculo, dum Amstelodami & Lugduni Batavorum vixit, per totam Europam celeberrimus, qui unice etiam huic curationi, & quod notandum, non ut adolescentis, sed virili ætate se dedicavit, mirumque non est, quod hi viri ob usum continuum ac diuturnum in ea longe perfectiores facti sint quam qui in hac arte adhuc sunt adolescentes, aut ab adolescenti five novo Chirurgo facile sperari potest.

**XX.** Sic quoque veteres, habuerunt Medicos **O C V L A R I O S** five *Ophthalmiatros*, qui morbis oculorum

lorum sanandis & spectatim istis operationibus, quæ in oculis sese offerunt, perficiendis, ut nominatim *suffusionibus* supprimendis, *pannis*, *unguis* & *tuberculis* vel tumoribus ac *flaphyloomatibus* aliisque malis auferendis operam dederunt, atque athuc hodie in maximis Europæ urbibus eiusmodi reperiuntur, quos Medicos ocularios (*Augenärzte* nos Germani, *Oculistes* Galli appellant) & quidem ex mea sententia recte; quia sic multo & frequenti usu longe perfectiores fiunt & fieri possunt, quam si adolescentes parum adhuc exercitati tam difficiles actiones perficendas suscipiunt.

XXI. Ita etiam veteres *berniis curandis* peculiares chirurgos sive Medicos constituerunt, vel saltem a longo tempore iam Medici sive Chirurgi fuerunt, qui *berniis* & speciatim per sectionem sive scalpelum sanandis operam dederunt, atque hanc ob causam *Celotomi* sive *ηλοτοροι*, herniotomi, Germanis *Bruchschneider*, appellati sunt, qui quondam totam Germaniam pervagati sunt, ut homines *berniis* intestinalibus, omentalibus, aquosis, carnosis laborantes ope scalPELLi, imo & omentales præcipue & intestinales, sive in umbilico fuerint, sive in inguinibus aut scroto, per vincula idonea sive fascias, sanarent; quo factum saepe est, ut, quamvis in anatomie & litteris quidem admodum fuerint rudes, tamen tandem per longum usum atque experientiam haud vulgarem, quæ in Chirurgia summe sunt necessaria, tandem sibi horum vitiorum notitiam & curandi scientiam ac promptitudinem acquisiverunt, quam profecto

fecto Chirurgi adolescentes vix unquam ob experientiæ diuturnioris defectum habere possunt.

**XXII. ARS OBSTETRICANDI** five parturientibus mulieribus succurrenti, præsertim in casibus difficultibus, quæ una pars ex nobilissimis totius Chirurgiæ est, omnium artium ac scientiarum forte antiquissima, ac summe necessaria, attamen etiam, teste **C E L S O** Lib. VII. Cap. XXIX. ex difficillimis, & cuius primus artifex **A D A M V S** fuisse videtur, dum **EVA** uxor eius, nullum aliud auxilium habere potuit humanum, quam hunc suum maritum, successu temporis quidem ex naturali mulierum verecundia ad mulieres transit, quæ quidem etiam obstetricis officio, quam diu & quoties naturali ac facili modo succedit, etiam satis bene fungi potuerunt & adhuc possunt; quare etiam ipsis in partu naturali & facili lubens illud relinquitur. Verum quoniam ob rationes & causas quam plurimas, dum unicus fere tantum modus est five fitus, quo infantes facile vel sine auxilio aliorum nasci possunt (quamvis, ut notum est, etiam & hic multis non sit sine doloribus) & quidem illo, quo fœtus pronus, capite præcedente, faciei incumbens & directo capitis vertice cum centro five axi oris uteri & vaginæ in linea recta exitum ex ventre matris molitur, *fœtus in aliud situm in utero disponitur*, quam qui naturalis & consuetus est, sane nasci non potest sine aliorum auxilio, quo manibus verti, in aliud situm disponi, imo omnino extrahi debet, nisi matri & fœtui vel saltem alterutri eorum moriendum sit.

**XXIII.**

XXIII. *Horum vero artificiorum pro diverso fœtuum situ in utero tot & tam diversa sunt, ut mēhercule omnia non nisi multo studio ac diligentia longoque usu bene addisci possint; hinc factum est, ut non solum ex sagacioribus & prudentioribus mulieribus, quovis fere in loco in hunc usum quædam a magistratibus fuerint constitutæ, obstetrices dictæ, quibus hæccura mulieribus in partu succurrendi easque iuvandi, secundas educendi, infantibusque re-cens natis, solutione a funiculo umbilicali eoque postea decenter ligando, demandata est.*

XXIV. *Huic vero negotio, quod varias easque graves ob caussas a prudentioribus omni fere tempore non ex levissimis, sed ex maxime difficultibus, ut supra iam dixi, agnitus est, dum quam plurimas mulieres parturientes & puerperas, imo & quam plurimos infantes in partu mori semper observatum est, Magistratus prudentiores non facile, imo vero nunquam puellas aut mulieres adolescentes in hunc usum constituerunt; sed quia probe agnoverunt, quod non nisi longo usū demum ad necessariam harum rerum scientiam pervenire possint, seniores paullo mulieres, quæ minimum quadragesimum annum egerunt vel superarunt & quæ saepius vel ipsæ pepererunt, vel saltem multas parere viderunt, ut sic quomodo cum pariente muliere & fœtu recens nato agendum sit, quando doloribus veris corripiatur, atque quod ante, in & post partum faciendum & fugiendum sit, saepius viderint, probe gnari triti illius d.cti: usum facere magistrum sive magistram, ut sic tanto melius demandato munere fungi possint.*

XXV.

XXV. Præterea etiam, præsertim in magnis uribus, imo & in magnis quibusdam pagis, obstetrici aut obstetricibus ordinariis *aliam adhuc mulierem*, quam huic negotio idoneam iudicant, *adiunxerunt*, quæ veteranam obstetricem, dum ad parturientes vocantur, comitari atque observare debent, quid ante & in partu eiusque diversis speciebus fiat sive contingat, aut fieri debeat, quomodo veterana procedat, quid in eo, qui præter naturam est, eiusque variis generibus agat, quibusque artificiis, pro rerum circumstantium diversitate utatur, probe observet ac discat, imo etiam quibusdam in casibus eam iuvet atque iussa eius exsequatur, ut sic aliquando ipsa tandem eodem officio, quia obstetrics mortales sunt, aut ægrotæ fieri possunt, apud mulieres parturientes fungi rite queat. Vbi etiam plerumque observatur, *iuniores obstetrics non mox esse optimas*, sed eas tandem, quæ longo usu, observatione ac meditatione sibi tandem necessariam scientiam atque agendi promptitudinem acquisiverunt. Quare igitur, si ad munus obsteticum *puellas adolescentes* non ita aptas esse existimant, aut illud ipsis committunt, sed mulieres tantum seniores, tanquam magis expertas, non etiam ad Chirurgi munus viri, adolescentibus seniores, admittendi erunt, sed tantum secundum CEL SVM adolescentes.

XXVI. Verum enim vero cum denique longo tempore & prudenti ac diurna huius artis obstetriciæ contemplatione a Medicis & Chirurgis prudenteribus melius, quam olim, perspectum sit, *quod in hac*

hac arte difficiles casus quam plurimi occurrant, ut fere impossibile sit, mulieres obstetrices, quæ plerumque ex vulgari plebe sunt oriundæ, (dum ditiores aut ex honoratioribus familiis ortæ, quæ legere & scribere didicerunt, atque prudentius educatæ sunt, & ad artem hanc addiscendam illis longe aptiores sunt, (a) ob contemptam obstetricum conditionem & vile plerumque stipendum, quo fruuntur, se huic negotio adhiberi nolunt) quæ sæpe nec legere nec scribere, imo ne litteras sive elementa alphabeti noscunt, atque sic etiam necessaria ad has actiones, quæ in partu præter naturam peragenda sunt, satis discenda & comprehendenda sæpiissime haud sint idoneæ, atque sic etiam ex lectione bonorum hac de re scriptorum, quorum quidem satis multos eosque idoneis figuris illustratos habemus, proficere non possint, quo fit, ut in rebus quam plurimis & speciatim difficultoribus, si quæ occurront, aqua ipsis hæreat, quidque tunc faciendum agendumque sit ignorant, ab aliquo tempore & *Medici & Chirurgi imo & Magistratus nonnulli*, ut hunc defectum relarcirent & impletrent, magnam dederunt operam, constituendo hinc inde & *scholas & Doctores artis obstetriciae*, ad conservandas multas mulieres parturientes & fœtus nascentes, in salutem Reipublicæ, servandosque sic multos subditos, alias sine convenienti auxilio in ipso partu perituros, ut in his scholis non solum mulieres, sed & viros,

D

præ-

- 
- (a) probare hoc possum exemplo *Siegemundæ*, celebris illius per Germaniam obstetricis Brandenburgicæ, quæ non solum Parente, qui verbi divini minister erat, nata est, sed & nupta Ducis Silesiaci redditum olim administranti ac postea Praefecto.

*præsertim Medicos & Chirurgos iuvenes obstetricantes  
(haud facile adolescentes, ob nimis parvam ætatem)  
erudiendos, quomodo tam ante & in partu naturali,  
quam diffici & præter naturam se rite gerere debeant,  
ut, quantum fieri potest, & parturientes & infantes vivi conserventur.*

XXVII. Non hic iam dicam *de utilitate & necessitate horum institutorum huiusque scientiæ*, quas nemo negare potest; sed *solum de difficultate hanc scieniam & artem rite addiscendi*. Nemini enim inter prudentiores Medicos & Chirurgos latet, *quot casus difficiles in partus negotio, tam ex vitio parturientis, quam fœtus nascenti, imo etiam ipsius obstetricis imprudentis incidere possint*, atque re vera etiam sepe incident, ubi quam exercitatisimi & maxime veterani obstetricantes vix inveniunt, qua ratione eiusmodi femina a fœtu liberanda, aut fœtus a matre, & *præsertim vivus educendus* sit: atque ad hoc, melius cognoscendum libri & figuræ, quæ de his casibus exarati sunt, curiosius inspici, vel expertissimi hac in re magistri interrogari possunt. Longe vero adhuc magis *ii magnas has difficultates experientur, qui operi ipsi auxiliares manus, fundamentis etiam ex Doctoribus & libris optimis, hac de re conscriptis, prius bene cognitis, adhibere studuerunt & revera adhibent: dum in quovis fere partu p. n. peculiares & novas quasi difficultates experiuntur, quas antea non experti erant, ut iudicio de novo alio succurrendi modo ipsis cogitandum sit; sic, ut profecto ars bene obstetricandi & parturientibus in partu p. n. suc-*

succurrendi non sit res adeo facilis, ut chirurgi vulgari sensu adolescentes, una cum reliqua chirurgia, eam tam facile addiscere aut scire queant; licet ars hæc in partu naturali eis succurrendi ut plurimum non sit valde difficilis, sed quælibet fere feminæ, vel quilibet etiam Chirurgus, sive adolescens sit, (si non omnino imprudens aut ignarus est) sive virilis ætatis, fœtum eiusmodi in partu suscipere & extrahere possit; sic ut & hic existimem, quod Medicus aut Chirurgus, virilis ætatis, quibus magna bis in rebus experientia est, adolescentibus merito suo sint preferendi.

XXVIII. Multi quidem adhuc alii sunt morbi, quorum curationes a Chirurgis perficiendæ sunt, & quos hic referre & meam ex ipsis sententiam uberioris, si vellem aut opus esset, confirmare possem, ut de aneurysmatum curationibus, de trepani applicacione, de artubus, præsertim maioribus amputandis, & sanguinem tam in his, quam gravibus quibuscumque vulnerum profluviis rite cohibendis, de Laryngotomia & gutture variis in casibus aperiendo, de vulnerum & speciatim abdominis atque intestinorum sutura, berniis incarceratis scalpello sanandis, de fistulis ani, præsertim mali moris, itemque fistulis ex carie vel spina ventosa ortis, bene glutinandis, aliisque quamplurimis, quæ ex cel. PRAESIDIS Institutionibus Chirurgicis, ad quas Lectores brevitatis caussa hic remitto, depromi possunt. Verum hactenus dicta ad sententiam meam, quod nimirum bonus Chirurgus potius virilis, imo haud raro, si cetera sunt paria, etiam senilis, quam adolescentis sit ætatis, ut sic longo

D 2

usu

usu confirmatus , tanto melius & certius quid & quomodo in gravioribus malis agendum sit , cognoscere , diudicare & efficere possit .

XXIX. Ut vero dictum illud aut sententiam CELSI , sapientissimi alias viri & Medici , quod nimirum Chirurgum voluerit esse adolescentem , a labbe , quæ ipsi hac ex re forte affricari possit , aliqua ratione & ex æquo defendam , existimo ipsum adolescentis aetatem verisimiliter *longe magis extendisse* , quam vulgo , ut supra §. II. indicavi , extendi solet , & ubi ab anno XXI alias iuvenilem aetatem incipiunt , eamque ad quarti septennii finem , annum scilicet XXVIII vel trigesimum , ubi virilem aetatem incipere solent , extendunt , atque sic minimum iuvenilem aetatem simul sub adolescenti inclusisse , sicuti & hæc sententia ab aliorum quorundam mente non aliena est . Ita enim adolescentes veteribus & nominatim VARRONE ab anno XV ad trigesimum appellatos esse CENSORINVS Lib. de die natali cap. XIV refert , & LIVIVS Tarquinios quoque adolescentes appellavit , qui tamen mariti iam erant Lib. II. cap. III. Imo CAESAR Curioni Tribuno plebis adolescentiam tribuit Lib. II. de bello civili cap. XXXVIII ; SCIPIONI , LIVIVS Lib. XXX. Cap. XXX. , qui iam XXIX aetatis annum excesserat . Atque vel triginta , quin & quadraginta annis maiores adolescentes esse vocatos , MANVTIVS ostendit in explanationibus ad CICER. Lib. II. Epist I. ad familiares , ubi uberius indicat , CICERONEM BRUTVM & CASSIVM anno , quo Praeturam gerebant , id est , anno aetatis quadragesimo , adolescentes vocasse , eundem-

demque BRVTVM eodem quoque anno a CORNELIO NEPOTE in vita ATTICI adolescentem appellatum esse: quo nomine veteres, ut mihi videtur, saepe virum sanum vegetum, robustum, licet XL imo quinquaginta annos superaverit, indicare voluerunt. Imo ut ex functionibus, quas Chirurgo destinavit, CELSVS, mihi verisimile est, sub verbis SIT ADOLESCENS, aut saltem adolescentiae propior, ipsum intellexisse totam illam hominum vitam, qua fere ut adolescentes, sensibus, animo & corpore vegeti, & ad omnes Chirurgo competentes actiones perficiendas maxime apti sunt, quod nos Germani saepe exprimere solemus his verbis: *Er ist noch ein Wackerer junger Mann, vel, er ist noch in seinen besten iahren,* qualis est ætas virilis vegeta, quo usque animo & corpore viget, sic, ut adolescentem tantum a sene & senectute sive illa ætate distinguere voluerit, quo homines intremiscere incipiunt & acie visus non amplius possint. Quia nulla profecto valida esset ratio, quare quis illos ab exercitio artis chirurgicæ exclude-re, aut ineptos haberi velit, (qui tamen ad illud satis apti imo aptissimi sunt) illudque solis adolescentibus vulgo ita cum HIPPOCRATE dictis, (a) committendum esse velit.


XXX. Adeoque ex his haud sine ratione concludendum esse existimo, quod Chirurgus vulgari de adolescentibus sensu non omnis debeat esse adolescentis; verum potius, ut adolescentis ex media illa ætate virili, inter adolescentes & iuvenes proprie seu vulgo sic dictos &

D 3

fenes,

(a) Sicut CENSORINVS hoc quoque refert Libro citato.

senes, scilicet a XXVIII, ad L. imo & in quibusdam ad sexagesium, qua homines viribus mentis & corporis sunt maxime vegeti & prudentissimi, sicut virilis ætas vegeta hodie sumitur atque esse solet, quæ omnino hic simul sub adolescentibus, aut ætate adolescentiæ propriori intelligi debet; alias CELSV M hic errasse quam manifestissimum esset: adeoque CELSVS merito hic clarius loqui aut scribere debuisset, si virilem vegetam ætatem sub adolescentis nomine, ut par est, comprehendere voluisset. Id quod hac in Dissertatione, salva aliorum sententia, ostendere vel evincere volui.



(\*) SCIM CENSORIUMA HOC DEDICARE REQUIT LIPSIENSIS.

NOBILISSIMO ATQVE CLARISSIMO  
CANDIDATO  
P R A E S E S



Laudo proboque institutum Tuum, quod loco spe-  
ciminis inauguralis præstantissimi & elegan-  
tissimi inter Medicos veteres Aurelii Cornelii  
**C E L S I** locum quandam vexatum magni mo-  
menti pervestigare, atque meditationibus Tuis  
hac in Dissertatione exponere volueris; qui, dum **C E L-**  
**S V S**, ut Chirurgus adolescens sit, desiderat, vel ob-  
scurus sit, vel omnino falsus videtur: qua vero in re  
illustranda atque excutienda TVOS & in Philosophia  
& in Medicina, cum theoretica, tum practica, pro-  
fectus exhibuisti, & quantum scientiæ atque experientiæ  
requiratur, ut quis bonus fieri possit Chirurgus: sic, ut  
adolescens, sicuti vulgari sensu hoc vocabulum sumi-  
tur, vir talis esse nequeat. His etiam **C E L S I** verbis  
nonnullos Medicinae studiosos veteranos, qui in aliis A-  
cademiis adolescentiæ annos iam superaverant, seductos  
esse novi, ut Chirurgiam postea addiscere neglexerint,  
existimando, se propterea non amplius fieri posse Chi-  
rurgos, quia non essent adolescentes; quamvis Chirur-  
gia futuro Medico tam utilis sit. TIBI vero DOCTIS-  
SIME

SIME CANDIDATE, alia eaque melior mens fuit,  
qui aliis in Academiis per plures annos Medicinæ, hic  
vero Chirurgia potissimum, in tertium usque annum ex-  
colendæ, te dedisti, probe perspiciens quod Chirurgia,  
annis iuvenilibus rectius, quam adolescentie discatur, at-  
que non solum Chirurgiam meam, cum omni instrumen-  
torum apparatu, me exponere audivisti; verum etiam  
omnis generis operationes Chirurgicas a me peractas  
vidisti, & me duce, manum agris admoveare didicisti,  
sic ut plures curæ meæ commissos, & cumprimis etiam  
adolescentem XX annos natuvi, cui hoc autumno sin-  
gularem ac notabilem e vesica calculum hic excidi, so-  
lus vulnus magnum decenti deligatione sanaveris; ade-  
oque profecto hanc etatem pro Chirurgia addiscenda  
longe aptiorem esse existimo adolescentia: quemadmodum  
sic etiam Magistratus & Icti eos, qui adolescentium  
sunt etate, nimirum infra annum vigesimum tertium  
in terris Brandenburgicis, imo in multis aliis terris, ut  
in Brunsvicensibus & Luneburgensibus, infra XXV ob-  
iudicium nondum fatis firmum, res & bona sua gu-  
bernanda non committunt, sed maiorem etatem habere  
debent, sive ut dicere solent, Maiorennes sint. Id quod  
etiam a Chirurgo & Medico, qui aliorum salutem curare  
debet, requiro. Gratulor itaque TIBI de hisce TVIS in utra-  
que Medicina profectibus egregiis, omniaque fausta appre-  
cor, & cumprimis, ut TE semper bonum Medicum  
& Chirurgum prefes. Vale.









Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-628137-p0042-2

DFG

# Farbkarte #13



ICA IN AVGVRALIS  
EXAMINATVR  
N  
**ADOLESCENS  
TIMVS**  
ELSI IN PRAEFAT. LIB. VII.  
SEAT ESSE ADOLESCENS  
AM  
ESIDE  
**HEISTERO**

ET LVNEBURG. A CONSILIIS AVEICIS  
RGIAE AC BOTANICES PROFESSORE  
ES. REG. LOND. AC BEROLIN. SODAL.  
E SENIORE LONGE GRAVISSIMO  
O SPECTATISSIMO  
RE ET PROMOTORE SVO  
LTV. DEVENERANDO

**DOCTORIS**  
HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
ITE IMPETRANDIS  
**O MAIORI**  
IER. MDCCXLVII.

MERIDIEM CONSVETIS  
VENTILATIONI SVBMITTET  
CTOR  
**JOHANNES CRAMER**  
HALBERSTADIENSIS.

STADII  
TERICI SCHNORRII,  
TYPO G.K.